

ex diversis auctoribus, sibi frequenter contradicentibus compilata. Horum judicia sua faciens auctor, non amplius memor præcedentium, semet ipsum non raro in subsequentibus refutat. D'Argenvillium inferiorem multo habet Lessero, germano, compilatore, cujus icones ære expressas, pro ligneis impressionibus (holtzschnitte) habet. Sed Lesserus erat Sacerdos. D° de Reaumur partem honoris tribuit de invento Jussieui, corallia et corallina a polypis et similibus habitari, qui tamen potius inventum Jussieuanum in dubium publico scripto (vid: memoir Paris:) vocavit etc. etc. D° Ascanio injungebatur cura tabularum, synonyma exhibentium, atque nomina Danica faceret et adderet. Hic, ne pristinam nimis faciem tenerent, mutavit ordinem ita, ut auctores citati anteponerentur nominibus testæ, ut in Fauna Tua, ubi non expectatus honos mihi contigit, ut ordine tibi fuerim antepositus. Ecce astutiam; quis jam cogitabit me auctorem esse hujus immensi laboris synonymorum collectorum, qui mihi tot noctibus insomnibus inter laboriosos dies constitit, cum me Tibi conspicit antepositum? Attamen ne querendi occasio mihi detur, in præfatione dicitur: me suppeditasse elementa tabularum (den stof dazu). Ita jam labor meus, sane non pro pane lucrando susceptus, implicitus est alieno labori, cui interesse fastidio et erubesco. Cum propter nondum editum tunc temporis Tomum I systematis tui, ipsemet mihi nomina quædam generica formare debuerim, inscriptum nomen genericum cujusvis conchylii in prioribus circiter 6 Tabulis mihi proprium relictum; in posterioribus vero 6 tabulis Tua nova nom: generica inscripta sunt, unde similis cochlea et concha in prioribus admodum diversum habet titulum, quam in posterioribus, cum tamen parum accuratus auctor vel Tuas vel meas per totum adhibere debuisset, saltem lectorem de mutatione monere.

Jam dum enim, cum nova impressio inchoaretur, Tom: I Tui systematis prodierat. Quam felix ceterum idem auctor et quam judiciosus in nominibus danicis formandis fuerit ex exemplis quibusdam constabit. Buccardium aliquod aculeatum dicitur Danice: Cor erinacei (Pinnesvinhiertet) quasi cor eri-